

# Sight Recitation

Area F 2002  
Westlake High School

## Level 1 / 2 and 1

### PUER QUI NATAT

Tectum nostrum nōn longē ā rīpā flūminis abest. Saepe in eō flūmine natō aut in rīpā stō. Frāter meus quoque interdum in flūmine natat. Natāre amāmus.

In mediō flūmine est magnum saxum. Ad saxum natāmus, tum in saxō diū sedēmus et cēterōs puerōs spectāmus. Flūmen nōn altum est, et caput meum vidēs cum in flumine stō.

Corpora valida habēmus quod saepe natāmus et quod in agrīs laborāmus.

Puerī Rōmānī quoque natāre amābant. Rōma est in rīpā magnī flūminis, et in flūmine puerī Rōmānī saepe natābant.

Etiam hieme virī Romanī et puerī Romanī in flūmine natābant. Illī Rōmānī corpora valida habēbant, et mīlitēs bonī erant.